



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

78. Ut nullus minister sine chrismate proficiscatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 61

chrisma sibi & sociis diligenter perferat. Hi verò qui non longius à civitate quàm quatuor aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum chrisma per se veniant; discendi verò gratia alio non quadragesimali tempore ad civitatem convocentur, propter plebes sibi commissas.

Ut alterius Episcopi chrisma nullus Presbyter accipiat. *Ex Concilio Vasensi,*
cap. III.

LXXVII. Per singula territoria Presbyteri vel ministri ab Episcopis non prout libitum fuerit, à vicinioribus, sed à suis propriis per annos singulos petant chrisma, appropinquante sollemnitate paschali, nec per quemcunque ecclesiasticum, sed si qua necessitas aut ministrorum occupatio est, per Subdiaconum, quia inhonorum est inferioribus summa committi. Optimum autem est ut ipse suscipiat qui in tradendo usus est. Si quid autem obstat, saltem is cuius officij est sacramentum disponere & sacramenta suscipere.
[*Vide Concilium Carthaginense 4. cap. 36.*]

Lib. 7. Capitular. c. 310.
Burchard. lib. 4. c. 78.

Ut nullus minister sine chrismate proficiscatur.

LXXVIII. Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate unquam debere progredi, quia inter nos placuit semel in baptismo chrismari. De eo autem qui in baptismo quacunque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur.

Concil. Arausic. t. c. 2.
Burchard. lib. 4. c. 73.